



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

III. Paterna castigatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

dējectio animi, desperatio meliorum, alixque tenebroſæ cogitationes mergunt iudicium, & voluntati naufragium minantur. Quid autem timidi estis modicæ fidei homines? Quia externa rerum facies mutavit, Deum simul mutasse arbitramini? Nescitis, procelloſo cælo pariter ac sereno, Deum eſſe ſemper ſuorum patrem, ſemper bonum? Amovendæ igitur diffidentix omni inter quantaſlibet miſerias, Chriſtiana mens, peccati gravis ſibi non conſcia, hæc ſolum perpendat certiffimæ veritatis argumenta: Deus pater eſt, ergo non caſtigat niſi ad bonum fili: Deus pater eſt, ergo non recuſabit, quod rogabitur, ſi eſt ad bonum filii.

III. *Paterna caſtigatio.* Perpendi illud volebat Auguſtinus in Pfalmum 54. *Gaudes? Agnoſce patrem blandientem. Tribularis? Agnoſce emendantem. Sive blanditur, ſive emendat, eum erudit cui parat hereditatem.* Abſit ut illum carnificis inſtar habeas, cui ſolum officium eſt, reos torquere: aut malis noſtris ipſum gaudere

existimes, velut Adonibefecum præfectis
captivorum manibus oculos pascentem,
Neronémve ad incendiorum spectacula
plaudentem, aut alia tyrannorum monstra,
quibus voluptas ex alieno malo quæreba-
tur. Cùm puer esses, si patrem animi
paterni habuisti, expertus es, quod ait
Augustinus, nunc blandum, nunc seve-
rum, prout utilitas tua postulabat. Lau-
davit te, muneratus est, extulit, ut ad bene-
faciendum animaret. Reprehendit, ca-
stigavit, depressit, non ut in malo tuo lata-
retur, sed ut à malo te avocaret. Narrat
Episcopus Barbastensis Nuza Tomi in
tractatu altero, parte 2. visum à se Illu-
strissimum Comitem, qui à filio graviter
offensus, quia ille jam magno natu erat,
& pueriles castigationes emerferat, ut ta-
men testaretur quid commeritus esset,
ipsius effigiem, præsentis ac spectantis,
laceravit. Ita optimus Pater cælestis agit
cum filiis immorigeris: ut animam erran-
tem officii sui moneat, & servet, effigiem
lacerat, id est valetudinem, facultatem,
honorem. Quid enim ista sunt, quàm,
quod

quod Tertullianus de corpore dicebat,
Statua titulo hominis incisa?

IV. *Oculata & medica.* Moses de Josepho, Salvatoris nostri & parentis optimi expressissimâ figurâ, loquens Deuteronomii cap. 33. hunc in multis titulum habet: *Cornua rhinocerotis, cornua illius.* Ubi advertendum, rhinoceroti cornu situm esse infra oculos, non supra ut tauro: ideóque non ex cæco impetu ferire, sed ex destinato, videréque quid petat. Notandum item, rhinocerotis cornui vim medicam inesse adversus venena ac pestes: quod enim monocerotri tribuitur, id rhinocerotri dandum, cum alius non sit monoceros. Cornua Christi cornua sunt rhinocerotis. Videt quem feriat, ubi percutiat, quorsum vulneret. Fortuita plaga non est, cæco more non infertur, ex destinato & altissimo consilio accidunt omnia. Quod caput est, cornua Christi medicâ vi pollent, & plurimum profunt rectè utentibus.

V. *Bona ex malis.* At quæ bona, inquis, ex calamitate oriantur? Totidè quot à cornu

E 5

rhino-